DISSERTATIO INAUGURALIS, DE CASTOREO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate reverendi admodum viri

D. GULIELMI WISHART S. T. D.

ACADEMIÆ EDINBURGENSIS PRÆFECTI,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu, et nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

TIMOTHEUS TAPPS BUCK, Anglo-Britannus.

Ad diem 6 Julii, hora locoque solitis.

In tenui labor ——— VIRG.

EDINBURGI,
Apud R. FLAMINIUM. M.DCC.LII.

VIRO CLARISSIMO

D. CAROLO ALSTON,

MEDICINÆ, BOTANICES,

ET

MATERIÆ MEDICÆ,

APUD EDINENSES

PROFESSORI,

ob universæ, quæ rei medicæ inservit,
Scientiæ Naturalis cognitionem,
summâ cum facilitate
ac morum probitate conjunctam,
meritò insigni;

PROLUSIONEM HANC INAUGURALEM,

magnâ erga Eum
animi promptitudine fretus,

DICAT

TIMOTHEUS TAPPS BUCK.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

CASTOREO.

CUM universi ferè, qui genus humanum affligunt, morbi, à medicinæ studiosis, qui in hac Academiâ pro gradu doctoratûs disputârunt, tractati sint; mihi de remedio haud ignobili, è regno, quod dicitur, animali petito, sciz. CASTOREO, pauca proferre visum est.

CASTOR est animal quadrupes, inter rerum naturalium scriptores pro amphibio habitum; cujus longitudo à summis naribus ad extremam caudam pedes tres cum dimidio, latitudo uncias duodecim æquare, pondusque libras triginta superare, dicitur *. Pili, tam longitudine, quàm colore diversi, corpus totum integunt. Cauda, quâ ad captandos pisces aquas secat, sine pilis est, pisciumque squamas refert. Pedes quidem anteriores caninis pedibus, posteriores verò anserinis similes sunt.

* RAII synopsis animal.

Lustra ad fluminum ripas, viz. Galliæ, Germaniæ, ac Poloniæ ſita, Castores incolunt. Fructus autem varii generis, atque arborum cortices depaſcunt. Omnia enim hæc in ventriculis, inter diſſecanda eorum corpora, inventa fuerunt. De animalium horum ſolertiâ, præſertim quòd domos ſibi affabrè inprimis conſtruant, mira quædam ac fide majora traduntur. Qui de his tamen plura velit, auctores infrà citatos adeat *. Hæc de animalis hiſtoriâ ſufficiant, nunc de Castorei ortu dicendum eſt.

Duo folliculi, liquore oleagino, coloris cineritii et fœtidi odoris, repleti, in inguinibus horum animalium poſiti ſunt. Magnæ circa hos inter viros doctiſſimos agitantur lites; alii enim teſticulos, alii glandulas odoriferas eſſe volunt. Anatomia vero glandulas eſſe duas detexit, quæ tam in maribus, quàm in fœminis, utrinque in inguinibus conſpiciuntur †. Quod autem, de Castoribus eos morſu auferentibus, cùm venatores illos perſequerentur, olim traditum fuit ‡, id ab omnibus pro fabellâ anili jam deridetur.

His

* Vide Pomet's *hiſtory of drugs*. *Nature delin. vol.* 1. *p.* 220.

† Dalei pharmacolog. p. 408.

‡ " Et pedibus ſegnis, tumidâ et propendulus alvo,
" Hac tamen inſidias effugit arte Fiber.

" Mor-

His folliculis abſciſſis, atque in umbrâ aut camino ſuſpenſis, liquor, quo impleti ſunt, indureſcit; manente interim fœtido odore, et colore cineritio. Subſtantia hæc Castoreum dicitur, quod è variis deportatur regionibus exteris, viz. Polonia, Russia, atque Indis utriſque: Russicum verò ab omnibus materiei medicæ ſcriptoribus optimum habetur.

Castoreum verum non niſi magno paratur pretio: hinc Pharmacopolæ nonnulli, lucro inhiantes, fraudem faciunt emptoribus; Gummi enim Ammoniaci pulverem, cum Castoreo commixtum, veſiculis indunt, et pro vero venditant. Impurum verò à puro facile diſtinguitur; quoniam illud coloris nigri eſt, et mucidum, et minùs friabile; hoc autem odoris fœtidi, ſaporis acris, et naturæ admodum friabilis.

Castorei acris ſapor, odorque fœtidus, multum ſalis volatilis in ſe contineri ſatis demonſtrant. Odor hic non tantum ſuperficie tenus, ſed per totum diſperſus inhæret:

"Mordicùs ipſe ſibi medicata virilia tollit,
"Atque abjicit ſeſe gnarus ob illa peti.
"Hujus ab exemplo diſces non parcere rebus,
"Et vitam ut redimas hoſtibus æra dare ‡."

‡ Vide Topsal's *hiſtory of animals.*

hæret: cùm vèro odor à particulis ſalinis et volatilibus fortiter olfactûs organum ferientibus, dependeat, ſalem Castorei quoque calidum eſſe nemo ſanæ mentis negabit; hinc concludendum eſt, Castoreum eſſe calidum *.

Unde, Castoreum ſequentes poſſidere vires ſatis evidens erit, ſciz. attenuandi, aperiendi, flatuſque diſcutiendi. Spiritus ſimul animales languidos excitat; venenis reſiſtit; et potentiam anodynam in ſe continet. Opii inſuper virulentiam hoc medicamine corrigi poſſe dicitur. Hinc in Apoplexiâ, Epilepſiâ, Paralyſi, Surditate, et Colico dolore, morboque Hyſterico, atque Hypochondriaco, Febribuſque ſyſtema nervoſum vexantibus multùm valet Castoreum. Ob illud ſal volatile inprimis totum genus nervoſum ſolatur; morbos uterinos, motus inordinatos corrigendo atque ſiſtendo, depellit; Vertiginoſis, Epilepticis et Apoplecticis prodeſt; Colicorum tormina, aliarumque partium nervoſarum evidenter lenit et tollit †. A granis tribus ad drachmam unam præſcribi poteſt, ſed rarò ultra ſcrupulum exhibetur.

Easdem vires Castoreo veteres attribuiſſe, ex Dioscoride patet. Ille enim vim ſtimulandi huic medicamento

* Vide Manget. biblioth. pharmaceut. medica, lib. 3. p. 494.

† Vid. Manget. ibid.

medicamento aſcribit, et ad menſes ciendos, et contra tremores, &c. non ſolùm internè, ſed externè proficuum æſtimat. A notis ſimul MATTHIOLI in DIOSCORIDEM conſtat, GALENUM in morbis nervoſis CASTOREUM exhibuiſſe. ARETÆUS CAPPADOX, de curatione Apoplexiæ agens, ait, miram habet vim ad reſolutos CASTOREUM: atque in alio loco, morbis autem nervorum CASTOREUM medetur *. Morbos etiam, contra quos medici atque chirurgi recentiores CASTOREUM præſcribunt, enarrat ETMULLERUS; adverſus enim Epilepſiam, Apoplexiam, Paralyſin, Lethargos, &c. poteſtatem magnam habere hoc medicamentum affirmat: quod autem ad efficaciam ejus in his morbis attinet, eam virtuti ſpiritus torpidos languidoſque excitandi acceptam refert.

IN ſuffocatione ſive ſtrangulatione uteri, CASTOREUM optimos præſtat uſus; imò præſentiſſimum fit remedium: teſtibus hac in re vix ſanè opus eſt, cùm mulierculæ noſtræ, hac paſſione laborantes, ad id tanquam ad ſacram anchoram confugiant †.

EX dictis itaque patet, CASTOREUM remedium eſſe præſtantiſſimum, atque à veteribus ad eoſdem morbos ſanandos

* ARETÆUS, p. 79. et 82. † MANGET. ibid.

nandos commendatum, contra quos præſcribunt etiam recentiores.

INTER Chemicos, ad tincturam CASTOREI extrahendam, an rectificatus, an ſpiritus tenuis, menſtruum ſit optimum; et an calidâ potiùs, quàm frigidâ maceratione, feliciſſimè eliciatur vis ejus medica, diſputatum fuit. Dominus verò LEWIS, qui Pharmacopœiam EDINENSEM *Anglicè* reddidit, notiſque illuſtravit, ſequens experimentum nobis exhibet. CASTOREI RUSSICI unciam unam cum dimidio in ſpiritûs vini Gallici lib. I. immiſit. Poſt macerationem viginti dierum, tinctura valdè tenuis erat, et viribus CASTOREI tantùm leviter imbuta. Effuſâ hac primâ tincturâ, reſiduo addidit ſpiritûs vini rectificati lib. I. et poſt digeſtionem paucarum horarum, tincturam alterâ generoſiorem habuit. Vix autem ab hoc experimento concludere licet, ſpiritum tenuem minùs aptum eſſe quàm fortem ad vires CASTOREI extrahendas. Maceratio enim ſpiritûs tenuis, partes CASTOREI mucilaginoſas diſſolvendo, ejus poros ita reſeravit, ut ſpiritûs rectificati viribus faciliùs cederet. Præterea, probabile eſt, ſpiritum tenuiorem vires CASTOREI æquè feliciter ac fortiorem extrahere, quoniam plurimi medici aquam calidam CASTOREO affuſam, modo THEÆ, uſurpandam præſcribunt;

nec

nec ſine ſucceſſu. Cùm ergo aqua ſola CASTOREI vires educere poſſit, non dubitandum, quin ſpiritus tenuis idem faciat. Atque Chemicus in arte verſatiſſimus mihi narravit, quòd CASTOREUM, unà cum ſpiritu ardente è ſaccharo confecto, in mortario marmoreo tritum, tincturam meraciorem ſuppeditet, quàm ſi cum eodem ſpiritu commiſtum, ſine tritu, leni calore digeratur.

VIRES tincturæ CASTOREI eædem ſunt ac remedii ex quo paratur, ſed multùm debiliores; quare CASTOREUM in ſubſtantia exhibitum, tincturæ ejus meritò longe præfertur.

FINIS.